

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## C. Cornelii Taciti Opera Qvæ Exstant

Tacitus, Cornelius

Antverpiae, 1668

Veterum scriptorum de Tacito testimonia vel eiusdem fragmenta

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1742](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1742)

occisum. Hæc ferè in Rep. In priuatâ eius vitâ ista sunt. Vxorem duxit A. V. C. DCCCXXX. Vespasiano IIX. & C. Iulio Agricola coss. Agricolaë filiam, idque illi ad extremam ætatem concors & tranquillum matrimonium fuit. Liberos haud dubiè reliquit, & ex ijs, nisi coniecturâ fallor, longo interuallo nepotem M. Claudium Tacitum, qui postea Imp. appellatus est (sic enim eum Imperatorem nummi appellant, non vt vulgus, P. Annium Tacitum) qui, vt Fl. Vopiscus refert, parentem suum appellare hunc Tacitum solet. Historiæ scribendæ senex demum vacauit, cùm reliquum ætatis in foro & causis orandis egisset. Ex Plinij epistolis & Tacitum in principibus oratoribus fuisse, & orationes aliquot edidisse, intelligimus. Æquales habuit, Fabium Quintilianum, vtrumque Plinium, Iulium Florum, Secundum, Maternum, M. Aprum, Eprum Marcellum, Vipsanium Messallam. Scripsit primum omnium, vt post docebo, Historiarum libros ab excessu Neronis ad imperium Neruæ. Deinde Annales ab Augusti excessu ad finem Neronis; quorum omnium quanta iactura & quibus locis facta sit in tempore memorabo. Nominantur & eius facetiarum libri à Fulgentio, cum hoc fragmento, *Cæsi itaque morum eclogio in filijs relicto*. Mortis eius tempus non exprimo: natalem tamen annum propemodum inueni. Odoratus sum ex Plinij nepotis epistolâ, quæ libro VII. Nam ait disertè propemodum ætate æqualem se Tacito. At Plinius incendio Vesuuini montis, quo auunculus periit, agebat, vt ipse ait, duodeuicesimum annum. Natus ergo Plinius (nam incendium illud secundo anno Titi) non dubiè anno vrbs conditæ DCCCXVI. Memmio Regulo & Verginio Rufo coss. At Tacitus paullò maior natus, quod eadem illâ epistolâ testatum reliquit Plinius. Ergo natus extremo imperio Claudij, vel potiùs, initio Neronis: vixeritque, opinor, vel ad imperium Hadriani. Historiam quidem exorsus est scribere post mortem Neruæ. clarum, quoniam principio I. Histor. vocat Diuum Neruam. qui honos non habetur, nisi principi mortuo.

## VETERVM SCRIPTORVM DE TACITO TESTIMONIA VEL EIVSDEM FRAGMENTA.

Plin. lib. VI. Nat. hist. cap. XVI.

*Ipsi nos pridem vidimus eadem omnia in filio Corn. Taciti equitis R. Gallie Belgicae rationes procurantis.*

Plinius Nepos lib. II. Epist. I.

*Laudatus est Verginius à consule Cornelio Tacito. Nam hic felicitati eius supremus cumulus accessit, laudator eloquentissimus.*

Eodem Libro, Epistol. XI.

*Respondit Cornelius Tacitus eloquentissimè, & quod eximium orationi eius inest, secundis.*

Libro

Libro iv. Epist. xv.

Idem Cornelium Tacitum, scis quem virum, arctâ familiaritate complexus est.

Libro vi. Epist. xv i.

Petis auunculi mei exitum tibi scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago nam video morti eius, si celebretur à te, immortalē gloriam esse propositam.

Libro vii. ad Tacitum.

Erit rarum & insigne duos homines atate propemodum æquales, nonnullius in litteris nominis, alterum alterius studia fouisse. Equidem adolescentulus, cum iam tua fama gloriaque floreret, te sequi, tibi longo, sed proximus, intervallo, & esse & haberi concupiscebam.

Libro ix.

Nec ipse tibi plaudis; & ego nihil magis ex fide, quam de te scribo. Posteris an aliqua cura, nescio: nos certè meremur, ut sit aliqua. non dico ingenio (id enim superbum) sed studio, sed labore, & reuerentiâ posterum.

Orosius de Domit. loquens.

Nam quanta fuerint Diurpaneï Dacorum regis cum Fusco dace prælia, quantæque Rom. clades, longo contextu euoluerem, nisi Corn. Tacitus, qui hanc historiam diligentissimè contexuit, de reticendo intersectorum numero, & Sallustium Crispum, & alios auctores quamplurimos sanxisse, & seipsum idem potissimùm elegisse dixisset.

Idem.

Dein ut verbis Corn. Taciti utar, Sene Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos nouæ gentes sæpè ex usu & aliquando cum damno quaruntur, usque ad Vespasiani durauit imperium.

Flavius Vopiscus in Probo.

Et mihi quidem id animi fuit, non ut Sallustios, Linius, Tacitos, Trogos atque omnes disertissimos imitarer viros, sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, &c.

Idem in Tacito.

Corn. Tacitum scriptorem historiae Augustæ, quòd parentem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari iussit.

Sidonius Epist. lib. iv. ad Polemium.

Caius Tacitus è maioribus vnus tuis Vlpianorum temporum consularis, sub verbis cuiusdam Germanici ducis in historiâ suâ rettulit, &c.

Idem in Panegyrico ad Anthemium.

Quâ Crispus breuitate placet, quo pondere Varro,  
Quo genio Plautus, quo flumine Quintilianus;  
Quâ pompâ Tacitus numquam sine laude loquendus.

Idem in Epigram.

Et te qui breuitate Crispe polles,  
Et qui pro ingenio fluente nulli  
Corneli Tacite es tacendus ori.

Illâ Quintiliani lib. x. \* fortasse ad Tacitum referantur.

Supereft adhuc & exornat ætatis suæ gloriam vir seculorum memoriâ dignus, qui olim nominabitur, nunc intelligitur. Habet amatores, nec immeritò, ut libertas, quamquam circumcisis quæ dixisset, ei nocuerit. Sed elatum abundè spiritum, & audaces sententias deprehendas etiam in ijs quæ manent.

\* Ambigo ideo, quia hæc viuo Domitiano Fabius scripsisse videtur. At qui noster tunc, ut opinor, nil vulgauerat.